

DIE X. JUNII.
IN FESTO
SANCTI LANDERICI,
PARISIENSIS EPISCOPI.
A N N U A L E.

Introitus.

2688A I-Mach
14.

FACTUS Sacerdos magnus
erogavit pecúnias multas;
justítiam & fidem conser-
vavit genti suæ, & exquisivit omni
modo exaltáre pópulum suum.

[*Temp. Paschali, Allelúia, allel.*]

Ps. 40.

*Psalmus, Beátus qui intélligit su-
per egénum & páuperem: * in
die mala liberábit eum Dóminus.
Glória Patri. Factus.*

Orémus.

2688B

DEUS, qui beátum Landeri-
cum Pontíficem tuum mise-
ricórdiæ viscéribus implevisti: quæ-
sumus, ut quem páuperum patrem
tuâ gratiâ effecisti, benignum pro
nobis intercessórem júgiter esse lar-
giáris; Per Dóminum nostrum
Jesum Christum.

Léctio Libri Job.

2688C

Cap. 29.

AURIS áudiens beatificábat me,
& óculus videns testimónium
reddébat mihi; eò quòd liberassem
páuperem vociferantem, & pupil-
lum cui non ésset adjútor. Bene-
díctio peritúri supër mē veniébat;
& cor víduæ consolátus sum. Justi-
tiâ índútus sum; & vestívi me, sicut
vestimento & diadémate, júdicio
meo. Oculús fui cæco, & pes clau-
do. Patër eram páuperum; & cau-
sam quam nesciébam, diligentíssi-

mè invéstigábam. Conterébam mo-
las iniqui, & de déntibus illius aufē-
rébam prædam; dicebamque: In
nídulo meo móriar, & sicut palma
multiplicábo dies. Radix mea aper-
tá est secùs aquas, & ros morábi-
tur in-messióne meá. Glóriã mēã
semper innovábitur.

[*Temp. Paschali: Allelúia, allel.*]
*V. Dispersit, dedit paupéribus: ju-
stítia ejus manet in séculum séculi.*

Ps. 112. 2688D

Allelúia, allelúia.

*V. Benedicétur; de pánibus enim
suis dedit páuperi. Allelúia.*

Prov. 22. 2688E

Sequentia.

SUI solemne Præsulis
Festum agat Lutétia:
Æternis viva séculis
Stat Landerici glória.

2688F

Hic pro Deo dum tenuit
Summus Pastor impérium,
Se caritate præbuit
Fidum Dei Vicárium.

SUA gaudens effúndere,
Ut sublevétur indigus,
Se se velit impéndere,
Vitæ libenter pródigus.

Angusta carnis viscera,
Sed omnes cor compléctitur:
Cunctorum sentit vúlnera,
Cunctorum malis prémitur.

SÆVIT Deus in pópulum:
Iram ejus vi cóhibet;

Et quã Dei fe famulum,
Hac plebis patrem exhibet.
Pro grege factus hofia,
Dum cœlo tollit dexteram,
Egentam nutrit millia,
Manum protendens alteram.

POSTQUAM se cunctis exiit,
Ipsum altare spoliat:
Vasa templi comminuit,
Ut viva templa nutriat.

Auro sic nuda sanctius
Deo fulgent altaria:
Sunt ipsi donum melius
Servatae plebis gaudia.

QUAM agris domum posuit,
Dei domus vocabitur:
Fundat fides, spes extruit;
At caritate regitur.

Hic menti salus redditur
Et corpori languentium:
Aut, si terrena solvitur,
Patet domus caelestium.

QUI magno nunc Pontifici
In caelis Pastor assides,
Plebi fer opem supplici:
Ama gregem, fove cives.

Pater vocaris pauperum,
Adsis nobis pauperibus:
Dei sequester munerum,
Tuos dita virtutibus. Amen.

POST PENTECOSTEN,

Graduale. Totã die miseretur & commodat; & semen illius in benedictione erit. *V.* Adjúvit pauperem de inopia: satiavit animam inanem, & animam esurientem satiavit bonis.

Allelúia, allelúia. *V.* Benedicetur; de panibus enim suis dedit pauperi. Allelúia.

Sequentia, Sui solemne. *suprà.*

Sequentia sancti Evangelii secundum Matthæum.

IN illo tempore; Dixit Jesus discipulis suis parabolam hanc: Homo peregre proficiscens, vocavit servos suos, & tradidit illis bona sua: & uni dedit quinque talenta, alii autem duo, alii vero unum, unicuique secundum propriam virtutem; & profectus est statim. Abiit autem qui quinque talenta acceperat, & operatus est in eis, & lucratus est alia quinque. Similiter & qui duo acceperat, lucratus est alia duo: qui autem unum acceperat, abiens fodit in terram, & abscondit pecuniam domini sui. Post multum vero temporis venit dominus servorum illorum, & posuit rationem cum eis. Et accedens qui quinque talenta acceperat, obtulit alia quinque talenta, dicens: Domine, quinque talenta tradidisti mihi; ecce alia quinque superlucratus sum. Ait illi dominus ejus: Euge, serve bone & fidelis; quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam: intra in gaudium Domini tui. Accessit autem & qui duo talenta acceperat, & ait: Domine, duo talenta tradidisti mihi, ecce alia duo lucratus sum. Ait illi dominus ejus: Euge, serve bone & fidelis; quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam: intra in gaudium Domini tui.

Credo. Et dicitur per Octavam.

Offertorium. Consurgens diluculo offerabat holocausta; dicebat enim: Ne forte peccaverint filii mei. Sic faciebat cunctis diebus. [Allelúia.]

Cap.
25.

2688I

2688G Pr. 36.

Pr. 106.

2688H Prov.
22.

Job. 1. 2688J

In Feste sancti Landerici, Parisiensis Episcopi.

Secreta.

2688K
Oblata munera, quæsumus,
 Dómine, propítius súscipe,
 eaque víscera caritátis, quæ beáto
 Landerico Pontífici tuo infudisti,
 fac nos pépeti ejus suffrágio per-
 sentíre; Per Dóminum nostrum
 Jesum Christum Fílium tuum, qui
 tecum vivit & regnat in unitate
 Spíritus sancti Deus,

Præfatio.

2688L
PEr omni-a secu-la seculorum.
 ¶. Dominus vo-bis-cum. ¶. Sur-sum
 cor-da. ¶. Gra-ti-as a-ga-mus
 Domino De-o nostro.
 Verè dignum & justum est, æquum
 & sa-lu-ta-re, nos tibi semper &
 ubique gra-ti-as a-gere, Domine
 sancte, Pater omnipo-tens, æterne
 De-us; Qui be-atum Landericum
 Episcopum posu-i-sti regere Eccle-
 si-am tu-am quam su-o sanguine
 Chri-stus acqui-si-vit. Ipse enim
 ca-ri-ta-tis tu-æ inunctus Spi-ri-tu,
 gregi sibi credi-to inde-fel-sus

invi-gi-lat: super egenum intelligens
 pro-videt cunctis; nudos ve-stit;
 esu-ri-entes pascit; infirmos vi-si-
 rat; & dum sublevandis in perpetu-um
 ex omni gente pauperibus pi-as ædes
 æ-di-fi-cat, æterna sibi pa-rat
 tabernacula, quò ab ipsis reci-pi-a-tur.
 Cum quibus & nostras voces, cumque
 omni mi-li-ti-a cœlestis e-xer-citûs,
 ut admitti jube-as de-pre-camur,
 supplici confessi-o-ne di-cen-tes:
 Sanctus, &c.

Communio. Sacrificium sanctifi-
 cationis offeres Dómino, & páu-
 peri pórrige manum tuam; ut per-
 ficiátur propitiatio & benedictio
 tua. Ex his enim in dilectiône fir-
 máberis. [Temp. Pasch. Allelúia.]

Postcommunio.

Propitiare, Dómine, pópulo
 tuo, & intercedente beáto
 Landerico Pontífice, perpétuæ
 misericórdiæ afflictis ómnibus im-
 pende subsidium; Per Dóminum
 nostrum Jesum Christum.

PER OCTAVAM, Missa ut in die
 Festi cum Prosa, quando fit de Octa-
 va, & Præfatione, nisi fiat Officium
 quod habeat propriam.

In die octavæ, missa ut in die festi, excepto Evangelio quod sumitur
 de Translatione, verso hoc folio: Dixit Jesus Petro:

DOMINICA I. OCTOBRIS,
TRANSLATIO SANCTI LANDERICI.

SOLEMNEMINUS.

*Missæ ut in die Festi, exceptis
quæ sequuntur.*

Oratio.

26880 **D**Eus, qui beatum Landericum
Pontificem tuum, cujus
Translationis diem commemoramus,
misericordiam visceribus implevisti:
quæsumus, ut quem pauperum
patrem tuam gratiam effecisti,
benignum pro nobis intercessorem
jugiter esse largiaris; Per.

Commemoratio Dominicæ.

Sequentia sancti Evangelii secundum
Lucam.

2688P Cap. 12.

IN illo tempore; Dixit Jesus
Petro: Quis, putas, est fidelis
dispensator & prudens, quem
constituit dominus supra familiam
suam, ut det illis in tempore tritici
mensuram? Beatus ille servus,
quem, cum venerit dominus,
invenerit ita facientem. Verè dico

vobis, quoniam supra omnia quæ
possidet, constituet illum. Quod si
dixerit servus ille in corde suo:
Moram facit dominus meus venire,
& coeperit percüttere servos & ancil-
las, & edere, & bibere & inebriari;
veniet dominus servi illius in
die quæ non sperat, & horam quæ
nescit, & dividet eum, partemque
ejus cum infidelibus ponet. Ille au-
tem servus, qui cognovit volun-
tatem domini sui, & non præpara-
vit, & non fecit secundum volun-
tatem ejus, vapulabit multis:
qui autem non cognovit, & fecit
digna plagis, vapulabit paucis.
Omni autem cui multum datum
est, multum queretur ab eo; &
cui commendaverunt multum,
plus petent ab eo.

Credo.

Non dicitur Prosa.



Oratio.

2689 **D**eus, qui beátum Landerí-
deum Pontíficem tuum mi-
sericórdiæ viscéribus implevisti :
quæsumus, ut quem páuperum
patrem tuâ grátiâ effecisti, beni-
gnum pro nobis intercessórem jú-
giter esse largiáris ; Per Dómi-
num nostrum.

Léctio líbri Job.

2690 **A**uris áudiens beatificábat
me, & óculus videns testi-
mónium reddébat mihi ; eo quòd
liberassém páuperem vociferan-
tem, & pupillum, cui non éssét
adjútor. Benedíctio peritúri su-
pér mē veniébat, & cor víduæ
consolátus sum. Justítia índútus
sum : & vestívi me, sicut vesti-
mento & diadémate, judício meo.
Oculús fui cœco, ét pes claudó.
Patér eram páuperum : & cau-
sam quam nesciébam, diligentís-
simè invéstigábam. Conterébam
molas iníqui, & de déntibus il-
líus auférebam prædam : dicé-
bamque ; In nídulo meo móriar,
& sicut palma multiplicábo dies.
Radix mea apertá ést secus aquas,
& ros morábitur in messióne mea.
Glóriã mēa semper innovábitur.

Tempore Paschali,

2691 **A**llelúia, allelúia. *ψ.* Scitis quá-
liter vobiscum per omne tempus
fúerim, testíficans in Deum pœ-
niténtiam, & fidem in Jesum
Christum.

2692 **A**llelúia, allelúia. *ψ.* Dispersit,
dedit paupéribus : justítia ejus ma-
net in séculum séculi. Allelúia.

2693 **P**ost Pentecosten,
Graduale. In bonitáte & ala-

critáte ánimæ suæ plácuit Deo :
idéò státuit illi testamentum pa-
cis, príncipem sanctorum & gen-
tis suæ. *ψ.* Factum est illi in te-
stamentum æternum fungi sacer-
dótio, & habére laudem, & glori-
ficáre pópulú suú in nómine ejus.

Allelúia, allelúia. *ψ.* Scitis quá-
liter vobiscum per omne tempus
fúerim, testíficans in Deum pœ-
niténtiam, & fidem in Jesum
Christum. Allelúia.

Sequéntia sancti Evángelii
secundùm Matthæum.

2695 **I**n illo témpore ; Dixit Jesus
discípulis suis parábolam hánc :
Homo péregre proficiscens, vo-
cávit servos suos, & trádedit illis
bona sua : & uni dedit quinque
talenta, álii autem duo, álii verò
unum, unicuíque secundùm pró-
priam virtútem ; & profectus est
státim. Abiit autem qui quinque
talenta accéperat, & operátus est
in eis, & lucrátus est ália quin-
que : simíliter & qui duo accépe-
rat lucrátus ést ália duo : qui au-
tem unum accéperat, ábiens fodit
in terram, & abscondit pecúniã
dómini súi. Post multum verò
témporis venit dóminus sérvó-
rum illórum, & pósuit ratióne-
cum éis. Et accédens qui quin-
que tálienta accéperat, óbtulit ália
quinque talenta, dicens : Dómine,
quinque talenta tradidisti mihi ;
ecce ália quinque superlucrátus
súm. Ait illi dóminus éjus : Eu-
ge serve boné & fidélis, quia su-
per pauca fuisti fidélis, super mul-
ta te constitúam ; intra in gáu-
dium dómini túi. Accessit autem

2689

2690

Cap.
29.

2691

Act. 20.

2692

Pl. 111.

2693

Eccli.
45.

Act. 20. 2694

Cap.
25. 2695

& qui duo talenta acceperat, & ait: Domine, duo talenta tradidisti mihi; ecce alia duo lucratus sum. Ait dominus ejus: Euge serve bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam; intra in gaudium domini tui. **Credo.**

2696

1. Cor.
12.

Offertorium. Non quero quæ vestra sunt, sed vos: ego autem libentissimè impendam, & superimpendar ipse pro animabus vestris. (Tempore Paschali, Allelúia.) **Secreta.**

2697

Oblata múnera, quæsumus Domine, propitius suscipe; eaque viscera caritatis, quæ beato Landerico Pontífici tuo infudisti, fac nos perpèti ejus suffragio perferre; Per Dóminum nostrum.

2698

A.G. 20.

Communio. Nocte & die non cessavi, cum lacrymis monens unumquemque vestrum: & nunc commendo vos Deo, & verbo gratiæ ipsius. (Tempore Paschali, Allelúia.)

2699

Postcommunio.

Propitiare Domine populo tuo; &, intercedente beato Landerico Pontífice, perpétuæ misericordiæ afflictis ómnibus impende subsidium; Per Dóminum.

D I E X I.

In Festo

S. BARNABÆ GENTIUM
Apostoli. *Duplex-minus.*

Introitus.

2700

A.G. 13.

Segregate mihi Saulum & Barnabam in opus ad quod assumpsi eos. (Tempore Paschali, Allelúia, allelúia.)

Psalms. Domine, probasti me, & cognovisti me; * tu cognovisti sessionem meam, & resurrectionem meam. **Glória. Segregate.**
Oratio.

PL. 138.

2701

Deus; qui beatum Barnabam, plenum fide & Spiritu sancto, ad opus conversionis Gentium assumere dignatus es: concede propitius, ut memores laboris & caritatis ejus, dignè Evangelio Christi quod prædicavit, conversari mereamur; Per eundem... in unitate ejusdem.

Lectio Actuum Apostolorum.

In diebus illis; Qui dispersi fuerant à tribulatione quæ facta fuerat sub Stéphano, perambulaverunt usque Phoenicem, & Cyprum, & Antiochiam, nemini loquentes verbum nisi sòlis Judæis. Erant autem quidam ex eis viri Cyprii & Cyrenæi, qui cum introissent Antiochiam, loquebantur & ad Græcos, annuntiantes Dóminum Jesum. Et erat manus Dómini cum eis, multusque numerus credentium conversus est ad Dóminum. Pervenit autem sermo ad aures Ecclesiæ, quæ erat Jerosólym's, super istis: & miserunt Barnabam usque ad Antiochiam. Qui cum pervenisset, & vidisset gratiam Dei, gavisus est. Et hortabatur omnes in proposito cordis permanere in Dómino; quia erat vir bonus, & plenus Spiritu sancto, & fide. Et appósita est multa turba Dómino. Profectus est autem Barnabas Tarsum, ut quæreret Saulum; quem cum invenisset, perduxit Antio-

Cap.
11.

2702